



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Separatio incestæ copulationis. lxxx.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Euangelicæ legis subiugatur pœnitentiæ. A secunda coniuge leparetur, priorem resumere cogatur.

Cur communicantes viri cum adulteris vxoribus nõ conueniant. Cap. LXXVII.

QUir viri cum adulteris non conueniant, & illud de-
sideratum est sciri, quur communicantes viri cum a-
dulteris vxoribus nõ conueniant, cum cõtra vxores in con-
sortio adulterorum virorum manere videantur, dum super
hoc Christiana religio adulterium in vtroque sexu pari ra-
tione contemnet, sed viros suos mulieres non facillè de ad-
ulterio accusant, & nõ habent latentia peccata vindictam.
Viri autem liberius vxores adulteras apud sacerdotes de-
ferre consueuerunt, & ideo mulieribus prodito earum cri-
mine communiõ denegatur, virorum autem latente com-
misso, non facillè quisquam ex suspicionibus abstinetur, qui
vtique submouebitur si eius flagitium detegatur. Cùm ergo
par causa sit interdum probatione cessante, vindictæ ratio
conquiescit.

*Ex decr.
Innocētii
pa. c. 24.*

*Quod non conueniat Christianos cum hæreticis
nuptialia iura contrahere.*

Caput LXXVIII.

QUod non oporteat cum hæreticis vniuersis, nu-
ptiarum fœdera celebrare, nec eis filios dare vel fi-
lias, sed magis accipere, si tamen Christianos se fieri per-
mittant.

*Ex cõcil.
Laodicen
cap. 31.*

Iudicii examinatio. Cap LXXIX.

DE hoc quod mihi reputatum est in hac synodo, quod
simul cum ista fœmina adulterium vel fornicatio-
nem fecissem, quod non ego ita feci, nec inde me culpa-
bilem recognosco, sic me Deus adiuuet ad istud iudicium.

*Iudicii
examina-
tio.*

Separatio incestæ copulationis. Cap. LXXX.

Visto die in antea cum ista fœmina cum qua adulte-
rium vel fornicationem fecisti, vnde disciplinam vel
pœnitentiam suscepisti, amplius non adulterabis, nec for-
nicaberis cum ea, nec aliam vxorem accipies, nisi post
peractam pœnitentiam, tibi licentia data fuerit ab episco-
po, aut ab eius misso, sic te Deus adiuuet.

*Separa-
tio ince-
stæ copu-
lationis.*